

58d

E libris
gymnasio Mauritano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

GRATVLATIO

AD QVAM

VIRIS

MAGNIFICIS MAXIME QVE REVERENDIS

PHILIPPO LVDOVICO

BOEHMER

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI

SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM AC LVNE

BVRGENSIVM ELECTORIS CONSILIARIO

CONSISTORIALI

SUPERATTENDENTI GENERALI DVCATVS CALENBERGICI

AC

PRABLATO WVNSTORPIENSI

NEC NON

IVSTO CHRISTOPHORO

BOEHMER

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI, ELO

QVENTIAEQVE ET POLITICES IN ACA

DEMIA IVLIA PROFESSORI CELEBER

RIMO

PATRONIS SVIS DEMISSE COLENDIS

SVB LAETABILIA ANNI PRIMORDIA

FACIENDAM DEVOCATVR

SIMVLQVE

AD PRÓSPERITATIS NVMQVAM CESSATVRÆ

ADPRECATIONEM

IPSA PIETATE EXSTIMVLATVR

IO. GODOFREDVS PVLS

GOTTINGENSIS

ALMVNS IJFEEDENSIS

AK



VIRI MAGNIFICI, MAXIMEQVE REVERENDI,
PATRONI DEMISSE COLENDI,

PENDEBAM animi, nec satis constituere poteram, sileremne prorsus, an hoc leui, et non satis digno VESTRIS personis litterarum genere vos compellarem fidentius: resistebat enim non nihil a principio scribendi cupiditati aetatis pudor atque verecundia: verebarque ego, ne ingenuae mentis non esset, ista dignitate, ista virtute viros, quibus nullum a publico munere tempus vacat, adpellare litteris. Verumenimvero omnem cunctationem, tergiverlationemque non tam ipsa praesentis temporis sollemnitatis, quam peruetusta, laudabilis, ac cordatissimis quibusque gentibus adprobata laetandi de alterius salute, felicitateque, adprecandique fausta quaeque consuetudo statim discussit. Quamobrem postposito omni pudore, nequaquam indecoro comprimam silentio pietatem in vos meam, sed praestabo laetabunda mente cuncta, quae probae et ingenuae mentis clientum erga patronos partes efflagrant. Id enim omnino me iubent causae non vnae, ex quarum serie possum prae ceteris subtexere singularem prorsus benevolentiam, quam tantae tamque luculentae significationes mihi declararunt, neque non benignitatem mirificam, et minime silendam curam, qua ad me, meaque rectius percolenda studia respectauistis. Tu profecto, venerabilis vir, et praeful rerum sanctiorum Wunstorpiensium, Gottingae statim à primis meae aetatis temporibus propensae voluntatis testificatione me dignatus es: et, si dicendum, quod res est, proxime et secundum DEVM tua cura, prouisione, et commendatione maxime effectum, vt in illustre musarum delubrum, quod heic loci efflorescit, ad maiorem ingenii cultum capessendum reciperet: inque eo per aliquot annorum decursum studiis rectis, quae ab humanitate nomen sortita, peropportune, et sine vlla interpellatione possem operari. Nec secus TE, Doctor, et professor celeberrime, in me esse animatum, ex eo diiudicatu perfacile est, quod aequae salutis, et studiorum adiutorum rationem TE habiturum per quam liberaliter fueris pollicitus. Quare si quid est, quod, si a DEO discessero, in terris venerandum et in oculis habendum mihi, vos profecto estis, VESTERQVE prolixus in me adfectus, de quo si plane hoc tempore conticescerem, turpissimam ingratae mentis notam subterfugere minime possem.

Ve-

Verum quid a mea fortuna, et ingenio (vtriusque enim exigua vel potius nulla possessio est) manabit, quam ardentissima vota, et supplicationes pro vitae, salutis, et felicitatis VESTRAE perpetuitate? Gratiae demississimae primum DEO immortalis perfoluendae, quippe cuius infinitae bonitati vnice attribuendum, quod grauiiores moroi, incommoda, molestiae, et illaetabilia alia, quae humanae in vitae cursu obuenerint, VOS attingere non poterint, nec inturbare. Tanto profecto maius id diuinae benignitatis munus est, vos sospites, ac fartos adhuc perstitisse, quo magis exiguus est numerus eorum, qui omnia sua studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in salute rei publicae, in rebus sanctioribus, in meliorum litterarum studiis, eorumque sedulis cultoribus prouehendis figunt, locantque. Atque tanta in orbitate vos, qui insignia ornamenta, et lumina terrarum nostrarum estis, ostentari cum primis demeremini. Praeclarissimae sane, vir et praeful venerabilis, curae TVAE sunt et cogitationes, quibus numquam non pro rebus sacris, proque salute ecclesiarum simul excubas, atque ad egregia omnia, quae prouidenda sunt, animo et consilio paratus es. Cognitus TV, atque in primis probatus in maximis, grauisimisque causis, et summa cum TVA laude peruulgatum, clarum, testatum inter bonos est, quanta solertia, quanta auctoritate cuncta modereris et guberes, quae modo cogitationibus interueniunt TVIS, ac explicanda committuntur. TV quoque, Doctor et professor celeberrime, praemines in alma IVLIA, nobili illo ingenuarum artium, omnisque liberalioris doctrinae emporio: et demandata ab summis academiae nutritiis munera dignissime tueris aequae, ac peramplam inde doctrinae TIBI tamam laudemque conficis. Quantam adhibeas solertiam in erectis, et ad rectorum decus studiorum connitentibus mentibus recte praeformandis, alii, qui ab ore TVO pendent, quosque inuitat doctrinae praestantia, fides, et diligentia, facundia comitior faciant testatus, ego impar sum tantae rei digne concelebrandae. Omnes, penes quos suus constat honos litteris, valde suspiciunt excellentem scientiam TVAM, profluentem facundiam, miram facilitatem, et virtutum reliquarum insignia, quae pleno in TE theatro conspiciuntur. Tanta tamque illustri eloquentiae cum primis fama vestrae amplificae academiae et laudem, et nomen illi velut proprium praecipuumque, quippe quae ab suo conditu fuit eloquentiae sacrarium, omniumque liberalium artium sedes; quamque peregregie condecorarunt illustraruntque summi, et super ceteras ingentes laudes facundissimi homines. Sed quid ego conor praeclaras VESTRAS

re-

recensere atque collaudare? admirandae potius tacite sunt, quam
tantis, quantis debent, praeconis extollendae: ideoque et ego, qui
rantae rei haud idoneus sum, non effuse ibo in laudes VESTRAS, ne
in adulationis, blanditiarum, adfentationisque, a quibus VESTRVM
omnino ingenium est longe remotissimum, crimen incurram. An-
imo potius deuoto ac sincero, votisque, et precationibus ardentissimis
ad DEI, praepotentis numen me conuertam, supplicem id veneraturus,
vt coepatum hunc annum cum perlonga infecutorum serie su-
peresse VOS superiuereque, et cum firma inconcussaque corporis
sanitate, ac prosperitate absolutissima transmittere patiatur. Pre-
cor, vt, qui VOBIS istam mentem cum ista auctoritate dedit, velit
vtriusque rei fructum esse maxime diuturnum, et aequare VESTRAE
vitae spatium cum iis bonis, quae in VOS mirifica contulit. Ad-
iungat bonitas diuina nouas VOBIS, atque vegetas et animi, et cor-
poris vires: et concedat, vt coepta, et labores VESTRI omnes in
propagandae Christianae, ac litterariae rei incrementum, decus, ac
beatitatem cedant. Non inexorata relinquuntur, ita facile augu-
ror, haec sincera, et ex animo concepta vota: quod si fiet, ex
VESTRA prosperitate vberissima quoque ad me redundaturae sunt
utilitates. Sic etenim certa me spes fouet, confore, vt VOS fa-
uore VESTRO, et propensa voluntate, quam tam luculenter adhuc
mihi ostendistis, me dignaturi in futurum, rationibusque studiosior
meorum perquam benigne consulturi sitis. Quod vt faciatis, a VOBIS
tanto, quanto possum, studio, id est summo sub iam faciendam
clausulam flagito atque contendo. Valete, DEVS VOS SOSPITET,
ET REFICIAT.

Ilfeldae, ipis Calendis Ianuarii, anni reparatae
salutis MDCCXIII

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!



Sb.

1077

R.40





202.147

150

GRATVLATIO

AD QVAM

VIRIS

MAGNIFICIS MAXIME QVE REVERENDIS

PHILIPPO LVDOVICO
BOEHMER

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI
SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM AC LVNE
BVRGENSIVM ELECTORIS CONSILIARIO
CONSISTORIALI

GENERALI DVCATVS CALENBERGICI

AC

ATO WVNSTORPIENSI

NEC NON

CHRISTOPHORO
BOEHMER

THEOLOGIAE DOCTORI, ELO
QVE ET POLITICES IN ACA
LIA PROFESSORICELEBER

RIMO

SVIS DEMISSE COLENDIS

TABILIA ANNI PRIMORDIA

FACIENDAM DEVOCATVR

SIMVLQVE

ITATIS NVMQVAM CESSATVRAE


ADPRECATIONEM

SA PIETATE EXSTIMLATVR

GODOFREDVS PVLS

GOTTINGENSIS

ALVMNVS ILFELDENSIS



Farbkarte #13

B.I.G.

AK